

per horum dierum quatuor ultimos perpetuæ pluvix, Februario deinceps infecuto, circa medium præsertim, valdè frigido &c. Similem diversitatem tempestatum circa menses quosque cognominis unius anni, cum illis aliorum collatos ex adversariis nostris demonstrare promptum esset, nisi res vulgata nimis & vel nolentium oculis, animisque parum etiam advertentibus ingesta, supervacaneam istam redderet operam.

*PHÆN. V.* Utrum in Zona temperata australi æquè varia & incerta habeatur annuarum tempestatum ratio, eadem observationum frequentiam doceri non potest, cum ejus nihil hætenus nobis innotuerit, præter Africæ & australis Americæ extremas cuspides ac Terræ australis, ideò incognitæ jure dictæ, pauca quedam litora, vix suis *Novæ Hollandiæ, Zelandiæq;* nominibus Europæis innotescentes: quemadmodum & cæteræ portiones, non ad eò nuper licet detectæ, ut Regnum *Chili, Terra del fuego &c.* Circa fluvium argenteum diffusæ in America, *Cassarumq;* & *Monomotape* australiores provinciæ in Africa, ob longinquitatem suam aliæque impedimenta rariùs adiri solitæ, tum quoad alia, tum quoad aëris variabiles conditiones parum perspectæ sunt nostratibus. Illud saltem certum est, in regno *Chili*, quod à Tropico Capricorni ad 45. tum circiter latitudinis australis gradum exporrigitur (quo eodem intervallo à Tropico cancri Hispaniæ septentrionalior ora, & Italiæ citeriora vix absunt) frigus tamen multò majus dominari, ut inde nomen regionis enatum sit, Peruanorum linguâ frigus significans, & Andium juga perpetuis obtegantur nivibus; tametsi in convallibus, quibus abundat, frumento, vino, frugibus & pecuariis ad eò dives sit, ut Peruanis quoque nonnunquam alendis sufficiat. Et circa promontorium B. Spei aër temperatus ordinariè serenus & insigniter salubris (unde vicini *Cassares* sive *Hottentotti* communiter 90. 100. usque ad 120. annorum longævitate fruuntur) nonnunquam tamen procellis impetuosis ex austro impetitur & imbribus aliquando infestatur ad eò copiosis, ut plenis haustis effusi videantur; ne quid nunc dicam de bovino oculonautis notissimo.

*PHÆN. VI.* Illud & rationis judicio, & experientiæ testimonio indubio constat, æstatis ac hyemis, Veris & autumnus vicissitudines in temperata australi, respectu cursus solaris oppositam rationem se habere; ut menses nostri verni & æstivi, sole scil. in signis Zo-

B diaci